





*Q. D. B. V.*  
DE  
**RELIGIONE**  
**LUTHERANA,**  
*DISQUISITIO POLITICA,*  
Amplissimæ in Inclyta Leucorea Fa-  
culty Philosophicæ Indulto,  
PRÆSIDE  
**M. ANDREA DAV. CAROLO,**  
Calvâ-Virtenbergico,  
RESPONDENTE  
**ADAMO CASPARO Bauer/**

Hetstadiâ-Saxone.

publico Eruditorum examini submissa

Die XII. Decembr. An. M. DC. LXXXV.

Hor. antem. in Aud. Minoris

WITTENBERGÆ,

Imprimebat JOHANNES WILCKIUS.

*Nobilibus, Amplissimis, Consultissimo, Prudentissi-  
mis, Spectatissimis*

VIRIS

**DN. GEORGIO GÖTTSCHEI**

Celeberrinæ Electoralis Torgæ Consuli per prolixam an-  
norum seriem præclarissimè merito:

**DN. CHRISTIANO GÖTTSCHEI**

JCto, & Inlytæ Universitatis Tubingensis Syndico Gravis-  
simò singulariq; dexteritate conspicuo:

**DN. AEGIDIO BODEHM/ Ocelli**

Wirtenbergici, Stutgardiæ, Senatori fide & prudentiâ  
nulli secundo:

**DN. JOH: CUNRADO HÄNSL/**

Pharmacopœo Tubingensi peritissimo, & Civi Acade-  
mico integerrimo:

*Patronis, Fautoribus & Affinibus suis  
quād maximē honorandis*

*Tumultuariam hanc Opellam*

*sacram,*

Affectusq; sui devotionem pariter ac sinceritatem  
commendatam

*esse cupit*

**PRÆSES**

**M. ANDREAS DAVID CAROLUS.**



**R**emitur Lutherana Religio magis magisq; & subinde in arctiores se recipere angustias cogitur. Exclusit eam hospitio per hanc annorum centuriam Provinciarum non una, sedemigranti novâ nullibi patente. Dimissam cum repudio à quâm plurimis, in seculo Illustribus, imò excellentioris etiam eruditio[n]is laude conspicuis, nullorum, quos diversa tenet, Magnatum amplexus excipit. Extrema potius unctio paratur anxie, per manus minus venerabiles applicanda. Ratio instituti, ceu sacra, quæ venedatur, notum est. Sed & Politicis, ne nulla apparet sententia & tristioris justitia, argumentis agitur. Provocatur ad Supremam Legem, Reip. Salutem, ut cum Lutheranismo sociari penitus renuentem. Illustrum decus Familiarum curae commendatur, tanquam cum paupere Evangelio conservari nescium. Indagemus proinde breviter, & sic rite videamus, quis Lutheranæ Religionis genius? quomodo in Politia se gerat? an, quod hac ab illa metuendum jure habeat, obversetur? *Adsis, DOMINE, Conatui!*

CAPUT I.

*Religio considerata in genere & in specie.*

<sup>1</sup> Religio † est ratio colendi Deum. Hæc † basis Reip.  
<sup>2</sup> & fulcrum est. Deum enim qui reverentur, ejus Vicario quoque, Magistratui, obedientiam exhibent.  
Religione autem sublatâ, obsequium, justitia, fides, jus*ju-*  
<sup>3</sup> *randum, honestas, virtus omnis exulabit.* Et quatuor Religionum generibus Politiae convenientissimus est *Christianismus.* Hic enim verum veri Dei cultum docet, sinceram erga Deum & proximum charitatem exigit, illibatum erga Superiores obedientiam sanctioremq; totius vi-  
<sup>4</sup> tæ honestatem urget. *Paganismus* † vicissim per Polytheismum ad Atheismum deducendo, *Judaismus* Leges Mosaicas sinistre interpretando, *Muhammadismus* voluptatibus atq; tyrannidi indulgendo, omnes tres indigna de DEO opinionem ingenerando, & veram virtutem, pietatem, conscientięq; curam negligendo, tam felicem,  
<sup>5</sup> ut Religio Christiana, Remp. reddere nescit. Ut ut † autem Sacram Religioni Christianæ & non violandam purissima Sanctitas Majestatem conciliet, contigit ei tamen, qvod Philosophiæ, apud Boëthium propterea l.i. de Consol. Phil. prof. 3. conquerenti: *Nonne apud veteres quoque, ante nostri Platonis etatem, magnum sepè certamen cum stultitia temeritate certavimus?* eodemq; superstite, Præceptor ejus Socrates injuste victoriam mortis me adstante promeruit? Cujus hereditatem cum deinceps Epicureum vulgus, ac Stoicum, ceteriq; prosua quisq; parte raptum ire molieruntur, meq; reclamantem renitentemq;, velut in partem præda, traherent, vestem, quam meis texueram manibus, discederunt, abruptisq; ab eapanniculis, totam me sibi cessisse  
<sup>6</sup> credentes, abiére. Inde † tot in Orbe Christiano Hæreses,

qua-

qvarum plerasq; Anabaptisticam præsertim , Qvakera-  
nam, Socinianam, Arminianam &c. in Rerump. perni-  
ciem grā ſari & eversionem , tum ab aliis ostensum, tum à  
certissima rerum magistra edoctum habemus. In † S.R.J. 7  
per Instrum. Pac. Osnabrugeo-Monast. tribus Religionis  
Christianæ formis exercitium publicum conſtat, Catholi-  
cæ, Reformatæ, & Lutheranæ. Illa †, Papistica potius seu 8  
Pontificia vocanda, qvo jure Catholicismum ſibi vendi-  
cet, hactenus nemo à partium ſtudio remotus aſſeqvi po-  
tuit: Iſta, ob apprehenſam Joh. Calvinī doctrinam, Cal-  
viniana aliás citra injuriam appellata, hodie à ſeveriori  
Reformatione denominari amat: Hec à Justitiā, qvam ho-  
mo juxta Evangelium per fidem obtinet, Evangelica etiam  
rectè dicta , à D. Lutheri (ut Israēlitica & Apostolica ab  
Israēlis & Apostolorum) confiſſione & ministerio nomen  
*Algueritudo* mutuatur. De † hac *Lutherana Religione* 9  
jam Questio eſt, non eqvidem heri demum nata, hodie ta-  
men qvām maximē multis in Aulis agitari ſolita: *An inter-*  
*fit Reip.* (vel ut abſolutē, vel ut determinatē ad S.R.I.ejusq;  
Provincias & Civitates, conſideratur) *Principum item, ali-*  
*arumq; Personarum Illuſtrium, eam ab illis non aſſum:*, neq;  
*etiam tolerari, aſſumptam autem vel toleratam repudiari,*  
*ſupprimi, extirpari?*

CAP. II.

*De Relig. Luth. Antonii Fabri, UngersdorffI*

*Et c. pronunciata.*

Romanæ † advocati Curiæ , tantæ negotiō gravitatis 10  
ipſis commiſſō, variâ adverſus Lutheranam Religio-  
nem lite experiuntur. Antonius Faber, Senatūs in Sabau-  
dia Supremi Præſes, cùm illā in Cod. ſuo *Fabriano*, l.i. Tit. 1.  
de

de Sum. Trin. & Fid. Catol. complurium Ecclesiastice dic-  
tarum Hæresium ream egisset, contra eandem cit. Tit. etiam ex capite Hæresium, quas vocat, Politicarum, seu, ut  
*Ad. Contz. l.5. Pol. c. 22.* loquitur, in Remp. peccantium, perrecturus: Jam, inquit, tempus esset, ut huic tractationi,  
quæ me longius traxit, quam putaram, finem imponerem vel  
ipso radio tam horrenda narrationis; nisi me viderem reli-  
gione boni publici teneri, ut aperiam, sed paucis, si potero,  
quantam perniciem rebus Christianorum Civilibus minen-  
tur & adstruant ingenia nostrorum Novatorum, ne dubita-  
re quisquam possit, non minus in Politicis, quam in Ecclesi-  
sticis hereticos illos esse: Id vero facile fiet propositis aliquot  
ipsorum propositionibus, quas perinde tuentur illi mordicūs,  
ac si essent articuli fidei. Recenset & deinde ipsas, quas tan-  
quam politico-hæreticas sibi refutandas sumit, proposi-  
tiones, quarum 2. 3. 6. & 7. ma, cum ðm. μέτρῳ, huc spectant;  
reliquæ enim, Calvino, inter quem quidem & Lutherum  
parum distare arbitratur, exprobratae, nos non moran-  
tur. Reprehendit & autem in Luthero, & conseqventer  
Lutherana, quam in judicium vocat, Religione (i) prop. 2.  
Peccatorum exæguationem. Authore Luthero Respons.  
ad art. Wormatiæ damnat. propos. 13. & 14. Circumstan-  
ciarum omnium, quæ peccata aggravare communi omnium  
homínium sensu & opinione creduntur, nullam penitus esse  
distinctionem; nec magis peccare illum, qui incestum cum fi-  
lia vel sorore, quam qui cum vidua extranea, vel cum mere-  
trice commiserit; nec eum, qui Patrem, aut Matrem, aut  
Principem, quam qui inimicum occiderit. (2) & prop. 3. cum  
Serario, Bellarmino, Gretsero ap. B. Dannh. Mem. Thaum.  
Luth. c. 12. p. 73. Expeditionum adversus Turcas suscipien-  
darum dissuasionem. Juxta Lutherum in assertione artie.  
per

per Leonem X. damnator. (T. 2. Witt. L. p. 110. b.) adversus  
Turcas præliari esse repugnare Deo visitanti nostras iniqui-  
tates per illos. (3.) † prop. 6. cum Contzenio l. c. Antino. 14  
mixæ introductionem. Ad mentem Lutheri T. 2. (Witt. L.)  
in respons. ad articulos, quos Magistri nostri excerpterant  
(p. 172. b.) nullam Remp. legibus feliciter administrari.  
(4) † prop. 7. Justitiae Civilis prohibitionem. Dicere Lu- 15  
therum Comm. in cap. 2. ad Galat. T. 5. (Witt. L.) p. 304.  
Nil conscientia cum Lege, operibus, & terrena justitia, cum  
in politia obedientia legis severissime exigatur, ibi nihil scia-  
tur de Evangelio, de conscientia, gratia, remissione peccato-  
rum, caelesti justitia, de Christo, sed tantum de Moysè, lege &  
operibus. Deniq; † (5.) impudentem de Principibus o- 16  
pinione in. Vocari Reges omnes & Principes à Luthero  
Robustos Venatores, quando pronunciare non vereatur:  
Nimium honoris est & gloriae, dicere, Papatum esse robustam  
venationem Romani Episcopi. Nam id exempli Nembroth  
omnibus quoq; Principatibus prophanis convenit, quibus ta-  
men nos Deus vult subdi, honorare, benedicere & pro eis ora-  
re. De Nimrodo autem quid sentiret, in Coment. ad Gen.  
explicare, ubi moneat, Tyrannos omnes & Principes robu-  
stos esse Venatores, non quod feras, sed quod homines perse-  
quantur, addendo: Hic postea generalis titulus fuit omniū  
Tyrannorum & principum. Hisce † ita conquisitis, & non 17  
sine vehementia prolatis, Anton. Faber, Lutheranismum  
stultum, iniquum, perniciosum, & ad totam Remp. Chri-  
stianam perdendam accommodatum esse, plus simplici  
vice pronunciat. Personatus † Christopherus Unger- 18  
dorffius in Gratulatione Germanica ad Status Austriae Pro-  
vinciales Evangelicos de impetrata Confess. Aug. &c. Ed. 2.  
part. 1. c. 8. pag. 74. cum Bzovio T. 19. A. 1522. §. 55. pag. 482.

Cor.



*Cornelio à Lap. Comm. in 1. Pet. 2,13. & prolixo admodum  
Contzen, l. 9. Pol. c. 17. & 18. ex Lutherana ortam Religionem  
queritur Motuum Bellorumq; multiplicationem, & Lu-  
therum adducit fatentem T. 8. Witt. G. in explic. Hoseæ  
fol. 304. pacatiorem fuisse Germaniam ante Reformatio-  
nis tempora, multoq; feliciorem. Illustribus † dein-  
de Familiis & Personis respiciendam proponit tenui-  
orem, ad quam per Lutheranismum redigantur, Statūs  
conditionem: Liebe Lutherische Fürsten/inquit, Graf-  
fen/Herrn und Adel/weil ihrs ja für Augen sehet/dass  
ihr bey der Lutherischen Religion kein Gedeihen fin-  
det / und leztlich euren Stand nicht mehr werdt füh-  
ren können/ (welches denn euer Luther zuvor prophe-  
ceyet Tomo 2. Germ. Jen. zu End des Buchs wider den  
falschgenandten Stand der Geistlichen fol. 126. b. §. 2.  
**Wie wollen wir den der Sachen thun/**  
(sprechen Fürsten/ Herrn und Adel/weñ wir nach Lu-  
thers Evangelii wachsen und uns mehren / und viel  
Kinder haben / und sollen sie dennoch nit auf Stifft  
und Klöster bringen?) **die Güter leyden nicht**  
**gleiche Ausztheilung** (dem sonst dörsfts dar-  
zu kommen / dass ein Fürst jährlich nicht mehr / als  
tausend Gulden Einkommen hätte / und geslickte/wo  
nit durchleuchte/ Hosen tragen müste &c. Unde, †  
& Reip. & Familiarum Ill. jugulum à Lutherana Religionem  
21 peti, concludit. Idem † cum eo qvoad posterius argumen-  
tum movet *Illustris ille*, ex qvo Sev. de Monzambano l.  
de statu Imp. Germ. c. 8. §. 8. Coloniæ Agr. seqventia se  
audivisse ait: *Mirari subit recentium Doctorum simplici-  
tatem,**

tatem, quod suaderenostratibus non erubescant, relictâ suâ conditione , Ejuratis tantis opibus ad ipsorum partes transire, ut ibi vite vulgus sint, cum fame acriter luctatur. Cui † tamen cætera longè aliud, ac Fabro, Ungersdorffio 22 & sociis, de Religione Luth. videtur. Ita enim l.c. In Lutheranorum Religione nihil licuit animadvertere, quod principiis Doctrinae Civilis repugnaret. Potestas circa Sacra Principibus asserta ; opes Sacerdotum ad tenuitatem magno Reip. bono redactæ ; plebi inculcatum, ut Magistratus tanquam DEI vicem in terris gerentes vereri meminissent ; deniq; bonorum operum summa officio boni viri definita. Negve displicet inania quædam ceremoniarum, Ej aliquem publici cultūs adparatum, relictâ, divertendis simpliciorum animis, quorum captum nudæ pietatis meditatio ferè superat. Jam mysteria Religionis uici non ad portentosæ superstitionis horrem adornata ; ita decorum videtur, abs humani subtilitate ingenii tantum impetrare sapientiam Ej potentiam divinam , ut sublimius quiddam ab hac prestari posse credatur , quam quò isti penetrare concessum. Quin ipsa crassities, quam nonnulli exagitant, ad ingenuitatis opinionem conciliandam facit. Hinc uti nulla Religio de Principibus Germaniæ melius mereri poterat ; ita in universum Monarchico Statui vix ulla magis idonea videtur.

CAP. III.

*Doctrina Religionis Luth. ipsa, quatenus Politi-  
tiam attingit.*

**S**ed t̄ examinemus ipsam, qvæ in forum protracta est, 23  
Religionem Lutheranam. Protestatur ea, manifestisq;  
documentis probatum dat, se semper per Suos de Politia  
& rebus Politicis sensisse, dixisse, scripsisse, non nisi juxta  
Codicem S., qvem Politia repugnare, ne Adversarii qvi-  
dem sui afferere audeant. Net autem Sacri Textūs ob- 24  
jiciatur perversio, ad Augustanæ Confessionis articulum  
16. ejusq; Apologiam, nec non scripta Doctorum suorum

B publi-



publica provocat, plus quam sufficienter evincentia, quod  
ex Lutherana Divini Verbi interpretatione 1. Evange-  
lium non aboleat Politias: 2. Inter Regnum Christi spi-  
rituale & Regnum Civile realis detur distinctio, non ta-  
men contraria oppositio: 3. Potestas Politica sit ordina-  
tionis Divinæ: 4. Jus Principum eminens in Vicariatu  
Dei fundetur: 5. Leges Politicæ obligent in Conscien-  
tia: 6. Competens Rectorib. Rerump. potestas qvoad  
directionem externam se in Sacras etiam Res & Personas  
extendat: 7. Magistratus Ordini Ecclesiastico neque di-  
rectè, neque indirectè, subordinetur: 8. Subditi pro Ma-  
gistratu preces ad Deum fundere, eiq; vestigalia, tributa  
&c, exsolvere teneantur: 9. Subditi venerationem &  
obedientiam Magistratui, heterodoxo etiam ac infideli,  
imò & Tyrannico, illibatam debeant, usque ad aras:  
10. Sed neque Majestati ad diversam invitatos adigere Reli-  
gionem volenti ulla vi resistere sine DEI offensione pos-  
sint: 11. Ipsa vicissim Religio vi & armis propaganda non  
sit: 12. Concretivè tamen acceptam, quatenus est in sub-  
jectis, injuriarum & defensionis capacibus, urgente sum-  
mâ & inevitabili necessitate defendi à Principe, Juri non  
repugnet: 13. Neque Ecclesiæ, neque ejus Ministris, quo-  
cunq; nomine veniant, jura Majestatis, vel Jurisdictionis  
etiam civilis, competere queant: 14. Ecclesiæ Ministri ne-  
gotiis & consultationib⁹ merè Politicis immiscere se non  
debeant: 15. Fides hæreticis quoque & infidelibus servan-  
da sit: 16. Omni fraude, æqvivocatione, reservatione  
mentali dolosâ &c. conscientia lœdatur: 17. Pacem &  
concordiam omni studio colere oporteat: 18. Salvâ ta-  
men Conscientiâ, observatis observandis, bella Princeps  
gerere possit: 19. Scelera quædam & Crimina capitale  
etiam



etiam supplicium exposcant: 20. Tum Principi & Ma-  
gistratui, tum Consiliariis, tum Subditis vera Pietas & in-  
fusa Dei reverentia curæ cordiq; esse debeat. &c.

CAP. IV.

*Objectorum Criminum & Incommodorum  
declinatio.*

**H**is t. ita simplici studio in Solis mensa positis, aduersus 25  
Objectorum sibi criminum invidiam & incommo-  
dorum Religio Lutherana, dudum jam, ut lupus turbatæ  
culpam aquæ in agnum transferre soleat, edocta, utitur  
(I.) *Justâ Recorsione.* Cùm nempe constet, ad Catholi-  
cismi Pontificii placita juxta summam Majestatem Politi-  
cam eminere potestatem quoque Ecclesiasticam, amu-  
lam illam & ab ista nullo modò dependentem, imò supe-  
riorem eā, ditionibus insuper atque potentia formidan-  
dum in modum stipatam: Ejecto subreptitiè Sacrorum  
Præsidi tot ubique arces esse, qvot monasteria & templa;  
tot in Urbibus præsidia, qvot Monachorum greges. Prin-  
cipis imperium à Clericis, utpote extraneo simpliciter  
obstrictis, non agnoscit: Ab infinitis otio devotorum exa-  
minibus fruges consumi, terræq; medullam: A Sacerri-  
mis hominum per innumera pecuniaæ aucupia stupen-  
dam opum vim conquiri, unde tamen oneri Reip. levan-  
do, incumbente etiam necessitatis casu, sine singulari Præ-  
sulis Tyberini indultu, ne minimum qvidem cedat: Scri-  
nia Romana, Legato Veneto Relat. de Notab. Aula Rom.  
Alexandri VII. ed. A. 1663. pag. 77. fatente, infernales esse  
voragine, qvæ si facultates aliorum semel absorpsent,  
nullius spem redemptionis relinquant: Per auricularem

confessionem & religiosum, qvod vocant, Conscientia-  
rum Illustrium moderamen in omnia Principum arcana  
penetrari: Pro re natâ pacta rescindi & conventiones, fi-  
de subditos & juramento solvi, erepta legitimis Dominis  
Dominia in alios transferri, Principes ac Civitates prædæ  
qvorumlibet exponi; qvales turbâr. tempestates apertè sê-  
per fulminare solus occasionis defectus vetet: Per Inquisi-  
tionis minûs Apostolicæ rigorem multarum provincia-  
rum commerciis, ut per Indices Expurgatorios communi-  
rei literariæ, vim fieri: Neqvisimis homuncionibus asyla  
26 in monasteriis templisq; patere: *In specie*, † per Dispens-  
sationes Papales peccata non exæquari modò, verùm ab  
omni etiam reatu libera pronunciari, novâ imò meta-  
morphosi in Bona, qvæ æternæ præmium vitæ mereantur;  
Opera transformari; qvod ex historiis dè Incestu, Regi-  
cidio, Parricidio &c. nimis manifestum sit: Ad expedi-  
tiones Sacras Principes, qvò vires eorum & curæ, Sanctæ  
aliâs Sedi negotium forsan exhibitæ, frangantur ac di-  
strahantur, omnemq; in eventum pinguis Romæ lucrum  
accedat, instigari: Legum Civilium Authoritati in qvâm  
plurimis à Jure Canonico præjudicari: In contractibus  
& Juramentis, nullâ conscientiæ ratione habitâ, æqvivoca-  
tionibus mentalibusq; reservationibus cum evidenti Ju-  
stitiæ opprobrio ludi: Principibus à servorum servo plus  
qvâm servile obedientiæ jugum imponi, in servitutis au-  
tem impatientes ad necem usque sœviri: A Sanctissimo  
Patre bella non seri tantum, sed & geri: Familias & Perso-  
nas Illustres maximâ bonorum suorum parte, si non totâ  
substantiâ, per varias artes exui; cum exutis pro lubitu agi,  
ita ut illis plerumq; quidem in Sacra familia de sua suo-  
rumve Majorum aut Necessiorum munificentia (ne vi-  
va,



va, qvæ ad consimile pietatis studium irritent alios, exempla desint) aliquem per vitæ dies fructum capere indulgeatur; si tamen diversum placuerit, in extremâ eosdem egestate deserere non pudeat, quemadmodum Imp. Henricum IV., magnifici, qvod Spiram ornat, Templi fundatorem, lachrymis etiam à beneficiario, Spirensi Episcopo, præbendam obtainere non potuisse, ap. *Hennig. de Summ. Imp. potest. circ. Sacr. c. 7. p. 668.* Helmoldus testetur; cæterū, ut maximè lautioribus Personæ (vel Familiæ etiam) Illustri fortunis blandiatur Papatus, non aliò tamen id animo fieri, qvam qvō Barbari Tovoupina umbal-tii captivos impinguant, scil. ut deglutiant delicatiūs. Hæc † & ejusmodi plurima cùm, uti dictum, satis content; petit Lutherana Religio, ut sagaciores Papalis Monarchiæ Ministri ea cum Reip. salute, nec non Illustrium commodo Familiarum priùs concilient, qvam ipsam ceu iniqvam, perniciosa, totiqve Reip. Christianæ perden-dæ accommodatam traducant. (II.) † *Directa propulsione.* I. Dolosum esse Actorem, *Ant. Fabrum* *JCtum*; minimum notissimæ oblitum Legis, nempe 24. ff. de II. *Inci-*  
*vile est, nisi tota lege (orationis strue) perspecta, una aliquā*  
*particulā ejus proposita, judicare, vel respondere.* Nam †<sup>29</sup>  
i) productas ex Lutheri *Responsione Extemporaria*, A. 1521.  
consignata, propositiones facie in ipso Textu (T. 2. Jen. L.  
p. 417. b.) alia comparere; hæc enim esse concepta Lutheri verba: *Circumstantias peccatorum cum matribus, filiabus, sororibus, affinibus, quacunq die, loco, quibusvis cum personis, & quicquid externum est, equalia esse, & penitus contemnenda: Apud Christianos unam tantum esse circum-*  
*stantiam, quæ est, peccasse fratrem.* Loqui autem Luthe-rum, ut evidenter ex contextu pateat, non nisi habito ad

con-



confessionem & absolutionem respectu ; qvò ním., qvām  
vana sit peccatorum Taxa cum omnibus Satisfactionib.  
30 Canonicas, ostendat. 2) † Luther, ut ex ejus T. 4. Jen. G.  
p. 431. manifestum , non de ipsis Christianorum bellis ad-  
versus Turcas suscipiendas vel susceptis , verū de modō ,  
qvo istis ea temporibus geri solebant, sermonem esse. Sub-  
dolō enim Papæ instinctu & auspiciis Cleri minus auspi-  
catis, nec tām ad Divinum auxilium , qvām humana præ-  
sidia respiciendo, animō præterea magis hostem per arma  
reprimendi , qvām evocantia hostem peccata per pœni-  
tentiam removendi , præliatos t. t. fuisse Christianos.  
Hunc itaq; belligandi modum à Theologico, neq; in-  
tempestivo, Lutheri Zelo approbari non potuisse; ipsas  
autem justas, & qvæ convenienti qvoque modō adversus  
Turcas adornantur, expeditiones, tantum abesse, ut Lu-  
therus dissuaserit , ut illarum potius curam inter præci-  
puas officii Imperatorii partes retulerit, & Christianis ad  
eas sese applicaturis calcar addiderit. v. T. 4. Jen. G. pag.  
31 439. 472. Hinc † propulsantibus immanem Turcarum  
vim Cæsaribus nunquam Lutheranorum , ad proprii e-  
tiam sanguinis profusionem , ipsius imò vitæ jacturam,  
pugnantium fortissimè, Principum suppetias defuisse, ceu  
Historiæ testetur fides, & res in Turcico, qvod adhucdum  
ardet, bello gestæ, malevolis frustrâ tacentibus, id cla-  
ment. 3) † Exulante Dei timore, qvò assertio Lutheri  
maximè respiciat, utique nullam Remp. legibus feliciter  
administrari. Neq; enim, ipsum Bodinum l. 6. c. i. fateri,  
ſperandum, ut Legibus ullis, aut pœnarum metu, qui Numi-  
nis metum omnem abjecerunt, à facinorosa vita deterrean-  
tur, qvia Legum metus non scelerat, sed licentiam comprimit;  
cūm innumerabiles & olim fuerint, & hodie sint, qvī tamet-  
st ab

si ab edictis Pratorum & Principum Legib. non desciscant, neqvisfi-  
mè tamen vivunt. 4) + Justitiam politicam & legalem, cum omnib.  
bonis, cuiuscunq; nominis, operibus, à Luthero prorsus non pro-  
hiberi, verùm urgeri potius, ut non licitam tantùm, sed & ut ne-  
cessariam ; in negotio autem Justificationis coram Deo ob ratio-  
nes, qvas ibi stringat. Theologicas non admitti. 5) + Qvi ante 34  
Lutherum de Principib. & Magistratu scripserit reverentiùs, nem-  
inem fuisse ; (Vid. modò T. VI. Jen. G. p. 8. sqq.) neq; parum ipsos  
Romano-Catholicæ Religionis Principes ei debere ; qvòd enim  
non publicè pro bovibus habeantur & arietibus (conf. Bellarm.  
cont. Barclaj. c. 31. ap. Hennig. l.c. cap. 5. p. 369.) Lutheranæ meritò  
Reformationi gratum esse ferendum. Robustorum + prædicatum 35  
Venatorum qvod attineat, verba ex Conim. in Gen. (c. 10.) allega-  
ta ita legi : *Hic igitur titulus (Nimrod) addendus erat (NB) impio-  
rum Principum titulis & pingendis in ipsorum insignibus, sicut Mo-  
ses facit, qui ab hoc dicit natum Proverbium, Quasi dicat, hic  
postea generalis titulus fuit omnium Tyrannorum & Principum,*  
*Hujus enim exemplum securi, non solùm invaserunt Respublicas &  
Regna, ut augerent dignitatem & potentiam suam, sed etiam usur-  
parunt jus in Ecclesiam.* II. + Ungersdorffum &c. probando suc- 36  
cumbere. Loqui Lutherum de xitate Reformationem proximè  
antegressâ ; prioribus enim seculis, ut Aventin. l. 5 & 7. aliiq; fidem  
faciant, motus multò plures Germaniam affixisse. Neqve + ta- 37  
men seditionis ullius aut belli causam vel aliquâ saltem veri specie  
in Lutherum devolvi posse, ut qvi de vitanda seditione libellum  
auro contra pretiosum (v. T. 2. Jen. G. p. 58.) conscripserit, & acri-  
ori stylō Rusticorum furori non constanter minus ac animosè  
restiterit. v. T. 3. Jen. G. p. 108. 113. 121. sqq. Qvandò + autem Lu- 38  
theranæ Reformationis occasione turbæ fuerint subnatæ, acci-  
dens id fuisse, ipsorum adversantium, veri detectione irritatorum,  
intemperiei jure imputandum. Ex + parte Lutherorum si qvid 39  
vitii qvorundam perversitas ingeniorum admiscerit, ut paucō-  
rum omnes damnet noxa, vel probis, qvod molita sit improbitas,  
præjudicet, æqvum non esse ; ad doctrinam potius praxinq; com-  
munem ut respiciatur, convenire. Porrò + neqve Familiis, neqve 40  
Personis, Illustrib. apud Lutheranos deesse, qvò & attritionem &  
ignominiosam cum fame luctam evitent. Familiis jus Primo-  
geni-



geniturae & honesta postgenitis assignata Appanagia; Personis  
nobiliores pacis & belli artes; utrisq[ue] magnum illud vestigal,  
Parsumoniam, ac vani declinationem luxus, rem atque decus citra  
41 turpem sacri sputi linctum conciliare, servare, augere. Qvod t  
ipsum oculatiori cuiusvis judicio relinques Lutherana Religio,  
III. admirandam putat inani junctam metui admirationem Illu-  
stris apud Monzambanum *Viri*, cuius cæteroquin pronunciatum  
in principalibus, qvæ huc spectant, momentis veritati respondere  
lubens agnoscit; præterquam qvòd non Monarchico magis, quam  
alii qvoque servant Reip. Statui accommodatam se profitetur,  
cùm in nulla Reip forma quæ tali vel minimum movere unquam  
42 aut mutare gestiat. De t definita autem boni viri officio bono-  
rum Operum summâ, simpliciorum animos divertentibus cere-  
moniarum inanibus, decorâ humani ingenii circa Religionis my-  
steria submissione, faciente ad ingenuitatis opinionem conciliane-  
dam crassitie, qvæ sunt addita, ut & alia, non nullam desiderantia  
43 explicationem, DNN. Theologis committit expendenda. (III) t  
*Inimicorum confessione* se qvidem tueri qvoque vellet, uti omni-  
nò posset, sed chartæ angustiâ prohibetur.  
44 C Ausâ t sic pro instituti ratione utrinq[ue] peroratâ, nos *Judicis*  
partes nobis non sumimus. Judicet cuiusq[ue]; Viri boni, pru-  
dentis, cordati, à præjudiciis liberi, Conscientia. Judicet Christianus,  
cujus tranqvillitatem res concernit, Orbis. Judicet, si qva e-  
rit, Posteritas! Tu t interim, *Humanissime Lector*, si in tam ar-  
duo, cujus recessus non unam tantum facem & viaticum satis o-  
pulentum reqvirunt, negotio ad expectationem Tuam non perti-  
gimus, veniam decenter petitam benevolus iudulgebis, illud ad-  
huc, si patiare, *monendus*, nos Disquisitione hâc neutiquam Reli-  
gionis rectitudinem ad commodi Politici normam exigere; qvâ  
sanè ratione qvid efficerentur tandem homines, quam Mammo-  
næ servi ventrisq[ue] mancipia? Sed breviter tantum, qvòd vera Re-  
ligio Reip. & Familiis Ill. non sit perniciosa, ostensum ire. DEUS  
Ecclesiam Suam tutô semper & ubiq[ue] hospitiô uti, & Poli-  
tiam efficaci tam sanctæ hospitis benedictione  
frui clementer jubeat!

F I N I S.



99 A 6912



5b.

VD 17

Petr. & kann.





**Farbkarte #13**

	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
Centimetres	19	18	17	16	15	14	13	12	11
Inches	7.5	6.7	6.0	5.3	4.5	3.8	3.1	2.4	1.7

**B.I.G.**

15 XV.

*Q.D.B.V.*  
DE  
**RELIGIONE**  
**LUTHERANA,**  
*DISQVISITIO POLITICA,*  
Amplissimæ in Inclyta Leucorea Fa-  
cultatis Philosophicæ Indultu,  
PRÆSIDE  
**M. ANDREA DAV. CAROLO,**  
Calvâ-Virtenbergico,  
RESPONDENTE  
**ADAMO CASPARO Bauer/**

Hetstadiâ-Saxone.

publico Eruditorum examini submissa

Die XII. Decembris An. M. DC. LXXXV.

Hor. antem. in Aud. Minori

WITTENBERGÆ,

Imprimebat JOHANNES WILCKIUS.

